



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 42. Guidonis Ferrerii Cardinalis mors.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1585  
hos exules omnes benevolentia, studio, ac prudentia protexit, & illis necessaria ad vitam suppeditari curavit. Interfuit is septem Pontificum Comitibus, in quibus videlicet Julius III. Marcellus II. Paulus IV. Pius quoque IV. & V. Gregorius XIII. ac Sixtus V. eligebantur, tandem Romæ die prima Maji e vitamigravit, anno ætatis suæ quinquagesimo nono unacum duobus Mensibus, septemque diebus, sepultusque est in templo Lauretanæ Virginis. Hic idem Capuæ provincialem celebravit Synodum, ibidemque Seminarium erexit.

## §. XLII.

*Guidonis Ferrerii Cardinalis mors.*

*Ciac. p. 965.*  
*Giuff. vit.*  
*S. Carol.*  
*Borr. Aubery l. c.*  
Alter erat Guido Ferrerius Sebastiani Vallete Laco-Vallonis, & Magdalenæ Borromææ Filius, natus Vercellis Mense Augusto Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo trigesimo septimo, cujus Mater, quæ Matrona erat virtutum exemplo celeberrima, jamjam ætate provector, suæque Marito orbata unice in id incubuit, ut tres suos filios adhuc superstites Philibertum, Fridericum, & Guidonem in omni virtutum genere educaret: horum duo primi cum in sua adolescentia sine posteris decederent, illis Guido in Laco-Vallonis Machionatu, aliisque

que familiæ suæ bonis successerat, qui a Patruo suo Petro Ferrerio Cardinale Vercellensi Episcopo in humanioribus literis, Philoſophia, canonica, & civili jurisprudentia apprime excultus tandem sancti Stephani Vercellensis Abbas renuntiabatur, demum cedente eodem Patruo suo Vercellensis Episcopus die secunda Maji Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo sexagesimo secundo creatus est, eodemque anno a Pio IV. utriusque Signaturæ Referendarius nominatus, ac postea tanquam Vercellensis Episcopus Tridentino interfuit Concilio: inde vero redux a Pontifice Sedis Apostolicæ Nuntius ad Venetorum Rempubicam decretus, dum hic Papa quarta vice Collegium novis Purpuratis auxerat Cardinalis titulo sanctæ Euphemie anno a partu Virginis millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, licet absens, creabatur, dimisso tamen titulo suo illum sanctorum Viti, & Modesti regnante Pio V. optabat. Aduit etiam primæ Mediolanensi Synodo a sancto Carolo celebratæ, a quo etiam rubrum galerum recipiens itineris, dum sanctus hic Archipræsul regiis Maximiliani Archiducis Romanorum Regis Filiis obviam ibat, socius exstitit, postea vero Exarchatus, & Amiliæ Legatus Vercel-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1585.

*Hist. Eccles. Tom. 1.*

Y lentem

Sæcul XVI.  
A.C. 1585.

lensem Ecclesiam variis structuris, atque ornamentis magnifice illustrabat, atque Episcopale Palatium proprio ære construi curabat, ibidemque celebrata Synodo decreta ad morum, Cleri, & populi emendationem oppido salubria condebat, simulque bina Collegia in sua Metropoli instituebat; tandem vero Romæ, cum septem duntaxat horis infirmus decumberet, die vigesima sexta Maji Anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo quinto, ætatis vero suæ anno quinquagesimo nondum expleto obiit, corpusque ejus in Ecclesia sanctæ Mariæ Majoris prope Patrum sui monumentum terræ mandabatur.

§. XLIII.

*Bolognetti Cardinalis decessus.*

*Cidc. tom. 4. pag. 95. Pomp. Viz- zani in hist. Bon. Ughel. l. 6.* Inter Cardinales hoc anno defunctos tertius erat Albertus Bolognettus patria Bononiensis exeunte Mense Julio anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo trigesimo octavo natus. Hic Gabrielis Galeotti postea Cardinalis magisterio usus adeo præclarum in jurisprudentiæ studio nomen sibi comparabat, ut ab omnibus maximi habitus etiam a Gregorio XIII. Papa Romam accerferetur, & primo utriusque Signaturæ Referendarius constitutus, ac dein Sedis Apostolicæ apud Florentiæ Ducem,